



## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Cvrsvs Theologici ...**

Ea Brevitate Conscriptus, Qvam Tot Tantarvmqve Rervm Amplitudo Et  
Varietas Patitvr ...

Quas Secunda Secundæ Et Tertia Pars Divi Thomæ Complectitvr -  
Qvæstiones Insvper Ad Mores, & praxim spectantes, maximè circa  
Sacramenta, accuratè declarantur

**Carleton, Thomas Compton**

**Leodii, 1664**

Præfatio Ad Lectorem.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-13826**

## PRÆFATIO AD LECTOREM.



**D**EVS, inquit Trismegistus, est circulus; cuius centrum ubique est, circumferentia nusquam. Circulus est, omnia nimirum in se summa, omnia optima, modoque absolutissimo complectens, & cui nullus, vel mente adjicere quidquam valet. Circumferentia verò nusquam est, nullis nimirum limitibus, nullo locorum ambitu circumscribitur, sed spatia omnia suâ immensitate infinite excedit: & ut verbo dicam: DEVS est, quo majus aut melius cogitari nihil potest.

Nec in se tantum DEVS, seu in existendo, ut aiunt, sed nobis etiam & in operando est circulus, principium scilicet nostrum & finis, a quo nimirum sicut per creationem initium sumimus, & quodammodo egredimur, ita ad eundem tanquam ad finem per gratiam ac virtutes, aliâque ad hoc ab eo instituta media redimus, sicq; ad se nos denuo reducit, & circulum nobis longè felicissimum conficit.

Cum ergo DEVM in se, infinitasque ejus perfectiones, proprietates & attributa, ac quo pacto se nobis per Omnipotentiam communicet, Tomo precedente declaraverim, nunc de iis quæ ad nos DEO tanquam fini reducendos pertinent, disputationem instituam, per ea namque summus DEI in nos amor ac benignitas clarissimè innotescit.

Primò itaque à tribus virtutibus Theologicis exordiar, Fide scilicet, totius ædificii supernaturalis fundamento, Spe, & Charitate, quæ inter virtutes omnes internumque hunc animæ apparatus primas obtinent, mentesq; habentium eximio splendore ac pulchritudine exornant. Deinde ineffabilem illum Divini Verbi cum nostrâ naturâ nexum declarabo, quo infinita illa bonitas tanto humanum genus honore dignata est, ut nobilissimis illis spiritibus prætermisissis, nobis se admirabili planè, omnisq; creati intellectus captum excedente modo conjunxerit, nostramque abjectionem suâ excellentiâ, nostram tenuitatem suâ abundantia, nostram denique obscuritatem suo fulgore & claritate illustravit. Hinc ad Sacramenta, gratiæ scaturigines è foraminibus Petri & fontibus Salvatoris effluentes progrediar, per quæ nimirum tanquam per cœlestes quosdam canales salutaris illa unda in mortalium animas derivatur, quâ & labes omnes ac sordes eluuntur, & Cælo ac Sole puriores efficiuntur. Tandem, cum in Sacramentis varia ad praxim spectantia contineantur, morales etiam hasce Quæstiones, quàm possum accuratissimè discutiam. Tibi ergo, benevole Lector, hoc opus, dudum quidem compositum, nunc verò secundis curis elaboratum offero: Vnde si fructus tibi aliquid aut commodi pro venerit, operam me non malè posuisse arbitrabor.

APPRO-